

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Collectarius benedictinus - Cod. St. Blasien 1

Fidelis <Pater>

**[Südschwarzwald, Sankt Blasien], [Ende 17. Jahrh.;
Supplementum von 1762]**

Nachtrag: Quatuor Evangelia in festo Corporis Christi

[urn:nbn:de:bsz:31-46337](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-46337)

QUATUOR
EVANGELIA
IN FESTO
CORPORIS CHR̄I.

Initium sancti Evange-
lij secundum Matthæum.

Liber generationis
IESU Christi, filij
David, filij Abrahā*
Abraham genuit Isaac:
Isaac autem genuit Jacob:
Jacob autem genuit Judā,
& fratres ejus * Judas au-
tem genuit Phares, et
Zaram de Thamar* Pha-
res autem genuit Efron;
Efron autem genuit Aram:
Aram autem genuit Ami-
nadab: Aminadab autem
genuit Nafon * Nafon au-
tem genuit Salmon: Salmon
autem genuit Booz de Ra-
ab: Booz autem genuit O-
beth ex Ruth: Obeth au-
tem genuit Jesse: Jesse au-
tem genuit David Regem*
David autem Rex genuit
Salomonem ex ea, quæ fu-
it Uriæ * Salomon autem
genuit Roboam: Roboam
autem genuit Abiam: A-
bias autem genuit Afa:
Afa autem genuit Josa-
phat * Josaphat autem
genuit Joram: Joram au-
tem genuit Oziam: Ozias
autem genuit Joathan:
Joathan autem genuit

Achaz * Achaz autem ge-
nuit Ezechiam: Ezechias
autem genuit Manassen:
Manasses autem genuit
Amon: Amon autem ge-
nuit Josiam * Josias autē
genuit Jechoniam, & fra-
tres ejus in transmigra-
tione Babilonis * Et post
transmigrationem Babi-
lonis, Jechonias genuit
Salathiel: Salathiel au-
tem genuit Zorobabel:
Zorobabel autem genuit
Abiud: Abiud autem ge-
nuit Eliacim * Eliacim
autem genuit Azor: Azor
autem genuit Sadoch: Sa-
doch autem genuit Achim:
Achim autem genuit
Eliud * Eliud autem ge-
Eleazar: Eleazar autem
Mathan: Mathan autem
genuit Jacob * Jacob au-
tem genuit Joseph vi-
rum Mariæ, de qua na-
tus est Jesus, qui voca-
tur Christus.

¶ Tertium

Initium sancti Evangelij
secundum Lucam.

Fuit in diebus Hero-
dis Regis Judææ Sa-
cerdos quidam, no-
mine Zacharias, de vice
Abya, et uxor illius de
filiabus Aaron, & nomen
ejus Elisabeth. Erant au-
tem justi ambo ante Deum:

incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela. Et non erat illis filius, eò quòd esset Elisabeth sterilis: et ambo processissent in diebus suis. Factum est autem cum sacerdotio fungeret Zacharias, in ordine vicis suæ ante Deum: secundum consuetudinem Sacerdotij forte exijt: ut incensum poneret, ingressus in templum Domini. Et erat omnis multitudo populi orans foris hora incensi. Apparuit autem illi angelus Domini stans à dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns: et timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia: quoniam exaudita est deprecatio tua: et Elisabeth uxor tua pariet tibi filium, et vocabis nomen eius Joannem. Et erit tibi gaudium, & exultatio: et multi in natiuitate eius gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino: et vinum, & siceram non bibet. Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ: et multos filiorum Israel convertet ad dominum Deum ipsorum. Et ipse præcedet ante illum in spiritu, et virtute Helix, ut convertat

38
corda patrum in filios: & incredulos ad prudentiam justorum: parare Domino plebem perfectam.

Secundum.

Innitium Evangelij secundum Marcum.

Innitium Evangelij Iesu Christi, Filij Dei. Sicut scriptum est in Isaiâ propheta: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Fuit Joannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum penitentia in remissionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Iudæa regio, & Ierosolymita universi, & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua. Et erat Joannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius, & locustas, & mel silvestre edebat. Et prædicabat, dicens: venit fortior me post me, cuius non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum eius. Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto.

Quartum.

Innitium sancti Evangelij secundum Joannem.

